

Liv. 21,4,1-6

missus Hannibal in Hispaniam primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit;

Hamilcarem iuuenem redditum sibi ueteres milites credere; eundem uigorem in uoltu uimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri.

dein breui effecit ut pater in se minimum momentum ad fauorem conciliandum esset.

nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atque imparandum, habilius fuit.

itaque haud facile discerneres utrum imperatori an exercitui carior esset;

neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat.

nullo labore aut corpus fatigari aut animus uinci poterat.

caloris ac frigoris patientia par;

cibi potionisque desiderio naturali, non uoluptate modus finitus;